

IOANNES BONROMANVS

URBEM A GOTHIS DEFENDIT

O D E

ERGO nefastis bella Trionibus
Arctoa, semper sunt Capitoli;
Placanda votis, et cruore
Barbarus Aufonio Bootes ?
Ergone semper Parrhasio gravis ?
Bellona plaustro, sanguineam facem
Spirabit Urbi, contumaci
Ebria coelitibus furore?
Nec vindicatis Romula stragibus
Virtus latinum stringet acinacem,
Caefo triumphans impotentis
Barbarici iugulo cerastae?
Fiet; Quirini sanguine decolor
Impune numquam barbaricus furor
Calcavic agros, sed refusa
Exitium retulit procella.
Famosa nostris barbara cladibus,
Et cruentatis nomina matribus
Ryphaea terror, nunc triumpho;
Inferias dabit Booti .

Sic auspicato nomine belliger
Spondet Ioannes, cui Getiros dedit
 Coelum nivalis fauciare
 Purpureos Boreae tyrannos;
Victrix cruentum dextera Totilam,
Et concitatis versa Trionibus
 Una recidit plaustra clade,
 Sanguine Hyperboreo decora
Lucana caesis arva phalangibus
Videre Ducum naufraga flumine
 Undare campis insepultis
 Castra suis Ducibus sepulta
Quid Richomundi perfidia nigris
Frustra revulsus fedibus impius
 Dicam Ioanni, criminosis
 Supplicium meritis luisse?
Regum superbis cladibus ebrium,
Et marte dulci, barbaricum manu
 Proftravit audax Uglitheum,
 Cumque suis Boream Gelonis.
Sed nulla tantum ridet adorea,
Quantum Quiritum funera manibus
 Depulsa, flamrra, et sospes ingens
 Imperij columen Latini.
Vitalianis meta laboribus
Sed certa nondum , sit licet omnibus
 Maior triumphis barbarorum
 Hesperiae Tyberis solutus.
Plusquam subactis profuit hostibus
Urbi Ioannes, Numina legibus
 Spondent GIBERTI, Vaticano
 Si fedeat Dominus regendo .

Petrus Paulus Bonetus Acad. Anim.